CHRISTVS EX REO IVDEX ORATIO

HABITA IN PARASCEVE

AD

S. D. N.

VRBANVM VIII.


A LVDOVICO BOMPLANO ANCONITANO
E SOCIETATE IESV.



ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. MDCXXXXII.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO
S. R. E.
VICECANCELLARIO.



LVDOVICVS BOMPLANVS. F.



OLVISSEM E. P. vt volaret irreuocabile verbum, nec ad prælum reuocaretur; quod vento commiseram. Nunc autem fugiens Oratio te iubente tenetur Typis comprehensa. An igitur mea verba ligentur ad vitam, dum Dei

Verbum ligatur ad mortem? Vtrumque portentum est; sed alterum Iudaicæ feritatis, alterum humanitatis tuæ. Sic autem alligata Oratio tot ante Iudices, quot ante lectores statuetur. Si vero illam omnes vt luce indignam morte damnabunt, vnus mihi abunde sufficis, qui eam luce dignam iudicasti.



ORA:

ORATIO



AN postulare liceat, vt vindices sanguinem seruorum tuorum, vt vnigeniti Filij sanguinem v[l]ciscaris optare non liceat fortissime Deus vltionũ? Audiuimus atrocitatem facinoris testis oculati stylo descriptam; Quid ego actum agens historiam repetam, vt pro occisi sanguine repetam lacrymas? Libeat potius, dum per te liceat B. P, iustæ vltionis memoria lenire paulisper acerbitatem doloris. Sic ergo illum contemplandum proponam ab hominibus iudicatum, vt eundem recolam homines iudicaturum; inter præsentia ludibria futuræ maiestatis vestigia relegens.

Psal. 76. Psalm. 93.

Siquidem per eosdem gradus, per quos modo pergit vt iudicetur, redibit olim vt iudicet. E monte Sion cœna facta contendit in montem Oliueti. Nunc quidem in Cœlesti Sion ad cœnam Agni consident, quos ipse fecit discumbere, & transiens ministrat. At cũ dies illa, seu potius nox omnibus obscura contigerit, ex eo grandi cænaculo ad montem se

Apoc. 19.

transferet Oliuarum, non iam Oliuarum, sed cupressuum, quia tunc terris nullũ clementiæ, misericordiæ nullum supererit oleum. Quis vero dubitet supremum Iudicem ad montis
Zach.14. Olíueti verticem, qui valli Iosaphati incumbit curuli nube venturum? Nimirum vnde ignominia patientis, inde sumet exordiũ gloria iudicantis; illustri documento, laboris & gloriæ eadem esse principia. At modo Oliuetum subiens quid est quod cœpit pauere? quam dispari vultu ad montem istum nunc ascendit, tunc descendet? ascendit timidus, descendet timendus, & ideo timendus descendet, quia timens ascendit; quæ enim iniustè sustinenda timidum faciunt, iustissimè vindicanda timendum efficient. Quare quot ipse malorum genera perpessus est, ante quam extremũ pateretur, tot ferenda pręmittet orbi terrrarũ, ante quam vltimo excidio deleatur. Cernitis vultũ impallescere, frontem perturbari, artus contremiscere, animum consternari, & intestino conflictu aduersantium affectionum non sine sanguinis effusione pugnari? Hæ vmbræ sunt malorum, quæ superueniẽt vniuerso orbi. Totus enim ingenti perturbatione miscebitur; & vt in Christi pectore aduersæ partes insurgunt, ita vbique terrarum surget gens contra
Luc.21. gentem, & Regnum aduersus Regnum. Quid

ille

ille tremor artuũ nisi terræmotus portendit? Luc. 21. Mar. 13.
Homines prę timore arescẽtes descriptos video in fronte Christi metuestis. Dũ vero eius mẽtis serenitas obnubilatur, quid hoc est, nisi solẽ Matth. 27.
obscurari? Humanitas autem quasi passa deliquium Diuinitatis est, instar lunæ non dantis Matth. 27.
lumen suum. Sed parum esset priuari lumine nisi etiã sanguine suffunderetur. Nõne videtis, Ioel. 2.
vt luna vertitur in sanguinẽ, dum cruento sudore perfunditur? quamquam dicerem potius stellas cadere de Cœlo, dũ hæ stillæ cadunt è Matth. 24.
Christi vultu planè cœlesti. cœlesti inquã, sed nunc ad terram deiecto, nam in faciem procidens orat Patrem, vt à se transferat calicẽ. Bibit tamen, veruntamen fæx eius non est exinanita: die illa amara valdè bibẽt omnes peccatores Terræ. Tunc enim Pater ad eos transferet calicẽ; ad te in primis Iuda, qui primus fuisti tanti sceleris cõcinnator. Bibes impuro illo ore, & amarescent labra, quæ dulcescere nequeunt os illud osculando, quod est fauus di- Cant. 4.
stillans. Quò pedẽ moues Tartarorũ emissarie? En ille occurrit tibi, occurrit armatæ phalangi. Non vos illi, sed vobis ille timorem incutit; dicens enim ego sum, omnes voce prosternit. Qui sic loquitur, dũ se alijs tradit ad necẽ, qualis tonabit, cũ ad necẽ alios postulabit! Vtinã Deut. 32.
saperent, ac intelligerent, & nouissima prouiderent.

deret. Sed eorum oculi caligauerant adeo, vt solem ipsum quærerent laternis. In illũ igitur certatim inuolant, eumq. vinciunt, illaqueant, irretiunt, oneratũ catenis ad Tribunal rapiũt? Hæc est hora vestra: hora illius veniet, cum mittet Angelos suos, qui ad suũ Tribunal omnes adducent. Nec clanculum adorientur, vt vos excordes tenebriones, sed præuio clangore tubarum, quas tu quoq. Malche exaudies, sed ne earum sonitus tibi sinistrè accideret, auriculam dexteram ideo mitissimus Dominus benignè restituit. Qui verò tuam abscidit, vtinam suas melius aures costodisset, ne ab illis tam facilè exciderẽt verba præmonentis: prius quã gallus cantet, ter me negabis; siquidẽ in atriũ Caiphæ sequutus, sed à longè, præeuntem Magistrum, ea longinquitate refrigescens ad ignẽ refouendus accessit. Sed alijs flammis erat excitanda caritas, ideo ad Ancillæ vocẽ expauescens, quam tardus fuerat sequẽdo Christũ, tam fuit velox negando. Sed Petro in perfidiæ tenebris consopito galli cantus nunciauit auroram; ille enim cantus prouocãs plantũ, quasi rorem expressit crepusculi matutini. Tu autẽ Petre quia flebas amarè, foras egressus es; quẽ enim serio pœnitet delicti, & in eadem persistit occasione delinquendi? sed nisi egressus fuisses, aliam ibi inuenisses causam dolendi.

Matt. 23.

Doluis.

Doluiſſes etenim, quod Malcho ſatellitũ impudentiſſimo pro dextera auricula, nõ potius dexteram manum amputaſſes. Illũ, illum nimirum fuiſſe perhibent, qui in vultum ſacroſanctum, in quem Cœlitum Principes vix audent obtutum intendere, non horruit alapam impingere. Quid autem? humaniſſimus Dominus, qui illi reciſam auriculam, manũquoq. ſi fuiſſet abſciſſa, eadẽ benignitate reſtituiſſet, & fortaſſe prõptius, quia tam ignominioſam alapam ſibi ab illa infringendam præuideret; ſic enim ſuis verberatus fuiſſet beneficijs, ideoque ipſi dolorũ cupido eo gratior fuiſſet percuſſio, quia ab ingrato fuiſſet. At ſi ita res habet, lætare dolorum amantiſsime: nam nihilominus oritur à beneficijs tuis iſta contumelia. Cur enim Malchus præ cæteris adſtantium te colapho verberauit? Profiteri voluit non quia à te aurem receperat, ideo de te benè ſentire. Ingrate Malche! Quam ſubito abuteris auriũ munere, dum tam ſiniſtrè accipis verba loquẽtis? ſilebit igitur, ſed die illa, quà prçcinit Iſaias, quaſi parturiens loquetur. diem illam tacitus cogitat, dum nõ reſpondet Pontifici; ideo qui dudum tacuerat, vix oblata occaſione in ea verba prorumpit. Amodo videbitis Fliũ hominis venientem in nubibus. Tunc Pontifex ſcidit veſtimenta ſua, eumq. reum mortis con-

Chriſoſt. & Euth. in Iõ.

Iſa. 42

cla-

clamauit. Quid autem cum inuidia tabescens verè illum suspicies in nubibus venientē? Nō vestimenta discindes, sed pectus discerpes; audies enim ab illo in te dici sentētiam, quam tu in illum modo pronuncias. Ad Pilatum igitur cū dies illuxit, & geminatæ sunt tenebrę Iudeorū innocens Reus allegatur. Circumstāt prætorium; quà falsis criminationibus, quà inconditis clamoribus iudicium capitis præproperè extorquere contendunt. Suboluerat Præsidi delatorum inuidia, delati innocentiam tenebat, quid tamen deliberat? Nequissimum caput! Audistis Euangelici scriptoris historiam. horret animus tam cruda vulnera retractare. memor propositi in his tantum, quæ innocens patitur, dum extremum suplicium opperitur, relegam pœnas, quas ab illo referent nocentes, ante quam supremæ sententiæ fulmine ad inferorum gurgustia deprimantur. Illa siquidem verbera, quæ lacertosi virgatores in teneros artus intorquēt, rependētur verberibus, quibus inferorū satellites damnandos homines, quasi reluctantes canes detinebunt, dum ad montes confugere, seque in cauernas penetrare conabuntur. Quin etiam irati Iudicis acerrimè verberabūtur obtutibus, flagellabūtur clamoribus, lacerabūtur improperijs. Quid spinæ illæ, quæ Domini caput cruentant? Spinæ erunt præterita-

ſitarum voluptatum,futurorum ſuppliciorum acutiſſimæ cogitationes, quæ eorum capita, & corda infinitis aculeis fodicabunt. Tunc Sap.2.
miſeri ſentiēt ex illis roſis,quibus ſe voluptariè coronarunt, ſolas ſpinas ſibi eſſe ſuperſtites. Quin etiam diuitias tunc demum eſſe ſpinas Matth. 13.
intelligent, cum ab illis ſentient pungi memoriam. Et quidem in ludificato Chriſti Regno adumbrata video eorum ludibria, qui e ſuperbis Dynaſtis, iam abiecti homunciones, ſe deriſos videbunt ab illis, quorum vitam æſtimabant inſaniam. Tunc ſiquidem illi inter Dei Sap.5.
filios computati in ipſorum interitu ridebunt. Prouer. 1.
Quid enim? Vt equidem interpretor, in iudicium ducentur arundinem pro ſceptro, dumos pro corona geſtantes: vellent etiam faciē velatam, eam tamen ſolo velari rubore permittetur. Interim vero tu mitiſſime Ieſu ſub ſcurrilis Regis habitu ludificaris, tu ad Iudicem ſiſteris, tu infami ſupplicio damnaris. At ſi nūc Prætor lauans aqua manus tradit te voluntati Iudeorum, tu olim lauans manus in ſanguine Pſal 57.
peccatorum trades eos arbitrio Tartarorum. Ergo dicta ſententia feſtinant ſatellites, patibulum inferunt, eoque viſo tripudiantes exultant Iudei. Quam amaro luctu plangent om- Matth.24.
nes tribus Terrę, cum hoc in Cœlo ſignum apparebit! ſuſceptum humeris, & corde complexum

xum baiulat nobilis Cruciarius, & in eo demũ cõfixus, qui olim nõ clauos manu, sed fulmina vibrabit, vt cum maximè refert futuri Iudicis speciẽ. Quid enim Crux est, nisi solium maiestatis ante quod Regũ vertices inclinantur? in eo igitur sublimis duos præ se habet hominũ ordines iudicandos; proborũ enim dexter, improborũ sinister latro designat. Sẽsit nouus ex latrone Propheta hoc futuri Regni præludiũ; ideo ad Iesum conuersus: memento (inquit) mei dum veneris in Regnum tuum. Exerit ille nimis diu conditam potestatem, eumq. Cœlo adiudicans, alterum gehennæ relinquens vltimum iudicij actum absoluit. Quid ni ergo diceret consumatum est? In eius autem discessu scindũtur petrę, quia ad absorbendos damnatos terra dehiscet; velũ tẽpli diuiditur, quia ad excipiẽdos electos sancta sanctorũ aperiẽtur.

Quid nos interea? reuertimur cum Centurione percutiẽtes pectora nostra, an manemus cum Longino ferientes pectus Christi? Hunc si potius imitamur, cæcum sequimur. Vtinam autem sanguis Christi sicut Longino oculorũ, ita nobis fiat animorum collyrium, vt purgata acie futuram maiestatẽ in præsenti, abiectione prouidentes, eo cultu prosequamur in Cruce pendentem, quo proni adorabimus in nube Iudicantem.

LAVS DEO.

